

pronum est, Svevos illos, de quibus Cæsar agit, Ubiis fuisse finitimos populos, & forte, quæ Cluverii sententia est, ipsos *Cattos*. Ubiorum autem isto Julii ævo inter Moguntiacum & Coloniam porrigebantur termini, quorum oppidum erat, quod deinceps ab Agrippina Neronis matre nomen *Agrippina Colonia* accepit. Ex his evidenter patet, *Suevos*, qui Atiovisi in Galliis exercitum augere & huic contra Cæsarem suppetias venire tentarunt, Rheno non fuisse procul dissitos, easque terras habitasse, quas hodie *NASSAVII* tenent. Quod ipsum ex eo magis confirmatur, quod per Treviros, trajecto Rheno, in Galliam expeditionem facere voluisse videntur. Treviri namque ad Cæsarem questum hancque Suevorum machinationem nunciatum venisse leguntur.

VII.

Erant autem Suevorum C pagi. De pagis veterum multa differere velle hujus non est loci. Illud scire sufficiet, pagos alio olim acceptos fuisse, quam hac nostra ætate, sensu; atque significasse societatem vicorum, sive vicos plures ditione quadam conjunctos; adeoque integram amplioris alicujus regionis portionem. Ita noster Comment. lib. I. cap. III. *omnis civitas, inquit, Helvetia in quatuor pagos divisa est, qui Gallis Cantons, ipsis Dexter vocantur.* Et *Vadomarii pagi* meminit Ammianus Marcellinus lib. XXI. *Didicit, Alemannos, a pago Vadomarii exorsos, vastare confines Rhetiis tractus.* quum tamen hic pagus non usque adeo angusta fuerit regio, utpote cui Regem vel principem tribuit idem ille Ammianus. *Quam sententiam quoque*